



OSSIVM FOSSILIVM, INSOLITAE MAGNITVDINIS,

IN PRAEFECTVRA VICINA HERZBERGENSI A. 1751:
E MARGA ERVTORVM,

DESCRIPTIO

SAM. CHRIST. HOLLMANNI

lecta die VIII. Ianuar.

Quum a Consultissimo Amplissimoque Viro, Dn. I. H. NANNÉ, Regis & Electoris nostri Augustissimi in Praefectura, ad Hercyniae nostrae radices sita, Herzbergenfi Praefecto supremo, quem fautorem & amicum singularem ab aliquot jam annis colo, *d. 18. Febr. superioris anni* inter alia mihi nunciaretur, reperta & effossa nuper a suae praefecturae rusticis ossa tantae magnitudinis esse, quae pro elephantinis haberi non immerito possent, idemque Vir Amplissimus pro humanitate sua adjiceret, constitutum sibi esse, siquidem usus haec nobis esse posse existimaremus, ad nos eadem transmittere; mira ossa ista videndi me cupido statim incessit, petiique a Viro Humanissimo enixe, ut promissis suis, quamprimum posset, statet. Varia tamen intercesserunt impedimenta, quae ossium transmissionem ad diem 4 Maji morata sunt; quo ipso vero non exigua istorum, cista satis magna & capaci inclusorum, pars, curante jubenteque Viro, saepe laudato, Consultissimo, ad me perlata est. Quum insolita ergo ossium plerorumque magnitudo, formaque singularis, in magnam me admirationem raperet; dignam rem judicabam, quae ad Regiae etiam Societatis, quae non multum antea coaluerat, notitiam perv-

veniret, maximamque adeo officium istorum partem *d. 5. Jun.* in conspectum ejusdem produxi. Quoniam eodem vero tempore alia in eadem agenda erant; in sola rei novae & insolitae contemplatione, quotquot tunc aderant, acquiescebant, nihilque adeo tum temporis praeterea hac de re actum est. Constitutum enim jam tum mihi erat, quaecunque ad rei istius historiam pertinerent, curatius perquirere, atque pluribus aliquando de iisdem disserere. Interecserunt vero postea alia, quae prius videbantur agenda esse, quaeve adeo effecerunt, ut in hoc usque tempus tota rei istius disquisitione differenda esset.

Inter omnes vero, quibus ossa ista tunc temporis videre contigit, nemo forsitan fuit, quin, molem illorum insignem miratus, animantis etiam insolitae magnitudinis reliquias esse, vel primo statim intuitu judicaverit. Quumque inter animalia terrestria majora nullum sit, quod *Elephantem* quidem magnitudine superet; pauci forsitan inter primos spectatores fuerunt, qui, corporis elephantini rudera & fragmenta esse, quae in medium tunc allata erant, dubitaverint. Et si levis enim aliqua animum meum dubitatio jam tum inceperat, quando ossa quaedam, reliquis magis integra, in manus meas venerant, quae justo fere, pro mole & pondere suo, videbantur esse breviora, quam ut procerius elephantis cujusdam corpus constituere commode potuerint; quoniam non satis tamen integra pleraque erant, ex quibus tutum ea de re ferri iudicium posset, atque tantae tamen molis ponderisque esse reperiebantur, ut non temere in aliam, quam elephantini corporis, machinam, quadrare posse viderentur, non multum dubitationi isti, vel a memet ipso, vel ab alio quocunque, tunc temporis tributum est. *Elephantina* ergo ossa ista vel maxime esse videbantur, in quorum descriptione adeo curatori, ceterorumque, quae ad historiam eorundem pertinerent, disquisitione, aliquando mihi esset versandum.

Quum

Quum ad hunc ergo laborem nuper me accingerem; cum sceleti elephantini, quod in *Transact. philos.* summa cura descriptum extat (*), partibus ossa mea, mire partim lacera, & imperfecta, coepi contendere, quove ordine incederem, a *capitis*, quae in manibus meis erant, fragmentis, *collique*, quarum duae tunc aderant, vertebri, disquisitionis meae initium faciebam: cum earundem partium, in *Transactionibus* descriptarum, figura, magnitudine, atque ad alias proportione, easdem comparaturus.

Atque initio quidem in calvariae quibusdam fragmentis res satis bene videbatur succedere, magnaue adeo disquisitionis meae parte jam mihi videbar functus esse: modo in reliquis, quae tum ad manus erant, ossibus aequae bene res succederet. Longe tamen aliter hoc paulo post evenit, quando ad *artuum* ossa ventum est, atque vel superficarie solum eadem contendere cum artubus elephantinis coepi. Hic enim demum, in errore manifesto me versari, coepi animadvertere, neque inane, quae olim subnata erat, dubitationem fuisse, satis brevi convincebar. Priora ergo ista, capitis nempe & colli, ossa attentius iterum contemplatus sum, atque satis evidentia tandem & in illis discrimina detexi. Quo eo ergo melius, cuiusnam animalium generis fragmenta ista sint, atque, quantum ab elephantinis ossibus recedant, intelligi clarius queat; singulorum exactam, quoad fieri equidem potest, descriptionem dabimus; iconibus simul potiora illustraturi.

Offium, ad me dilatorum, majorum, minorumve, XXIX. sunt, quae cum aliis quibusdam, de quibus deinceps dicetur, in marga, qua rustici ad agros suos foecundandos etiam in his regionibus nonnunquam utuntur, demersa, & sepulta quasi, fu.

(*) Nr. 326. & 327. unde & illa in *Transactionib. Philosophicis*, in *compendium missis*, integra repetitur *Vol. V. P. I. p. 82. sq.*

Com. Soc. Gott. Tom. II.

E e

fuisse, si aliunde non constitisset, vel ipsa illa, circumquaque adhaerescens, marga, quae in omnes ferè ossium cavitates se simul insinuaverat, docere spectatorem attentum facile poterat. A ferreis vero, quibus effossa sunt, instrumentis, etiam illis, quae magis adhuc integra esse videntur, gravia passim vulnera impacta sunt, quae aliis quibuscunque causis tribuere velle, ridiculum propemodum foret. Marga igitur ista, quae magis integris non minus, quam laesis, laceratisque, tenaciter adhaerescerat, atque in minimas saepe cavitates eorundem se insinuarat, removenda caute erat, quo & forma ipsorum propria magis appareret, & pondus determinari exactius posset. Reliqua, quae ad ossium istorum conditionem, & statum, generatim pertinent, ad dissertationis & descriptionis huius finem differemus.

Praeter ossa vero ista, quae ad me quidem delata sunt, alia XIV. ex eadem marga, eodemque in loco eruta, in Viri Cel. FRERN. BRUCKMANNI, medici Gvelferbytani, manus, forsàn quoque in aliorum quorundam alia nonnulla, pervenerunt (*). In rusticorum, certe, circumjacentem loci illius, in quo ossa reperta sunt, regionem incolentium, quorundam manus ossium istorum, etiam majoris moduli, quaedam incidisse, pro certo mihi compertum est; quae nullo vero pretio ab iisdem redimere, & ab interitu suo vindicare, licuit. Perantiquus enim his hominibus, quod mihi quidem confirmatum fuit, mos est, qui & inveterato eruditorum quorundam errore nititur, ossibus istiusmodi fossilibus, quae *unicornu fossile* generatim ipsis, aliisque, appellantur, *panaceae* loco in omnibus fere morborum, quae ipsos, aut ipsorum pecudes, infestent, generibus utendi: quo ipso procul dubio adhuc evenit, ut haud pauca, satisque forsàn egregia, antiqui orbis

(*) Quae in celeb. BRUCKMANNI manus venerant, paucis ab eodem descripta sunt in *den Braunschweigischen Anzeigen* a. 1751. Nr. 64. p. 1289. sq.

bis rudera, & documenta, ab his hominibus, eorundemque pecudibus, dudum devorata sint, quae, si nobis superessent, magnam rebus multis obscuris lucem forsan affunderent. Sed non unica haecce est, quam rerum naturalium studio, error, superstitio, & ignorantia, a multis inde saeculis, intulerint, noxa irreparabilis. Ad ossa ergo nostra, quae sive casu, sive providentia quadam, nobis servata sunt, revertimur.

Facile vero eadem intuenti patescit, neque unius ejusdemque, quod vocant, individui, neque unius etiam ejusdemque animalium generis, eadem omnia esse; atque illa tandem, quae ad ejusdem generis animalia quidem pertinuisse facile agnoscuntur, animantium tamen aetatis admodum diversae reliquias vel maxime esse. Ut taceamus, alia inter eadem occurrere, quae, etsi majoris animalis rudera esse vel solo obtutu facile pateat, adeo laesa tamen lacerataque sint, ut vix, qualemnam corporis partem olim constituerint, nedum, cujusnam animalium generis fuerint, cognoscere satis liceat. In *classes* ergo suas ossa ista distribuemus, atque de his quidem primo loco dicturi sumus, de quibus vix dubium rei qualitercunque perito esse possit, quamnam animantis partem olim constituerint: etsi, cujusnam animalium generis sint, non aequae facile judicatu esse videatur. De reliquis suo deinceps loco videbimus.

Inter ossa illa, quae inter animalis cujuscunque majoris rudera referenda esse, vel primus quemvis, etiam rerum istarum non satis peritum, obtutus facile convincat, fragmenta quaedam occurrunt, quae *cranii*, seu *calvariae*, reliquias esse, praeter alia, satis manifesta, indicia, vel futurarum, quae passim adhuc supersunt, vestigia extra dubitationem omnem facile ponant. Horum tamen omnium, minus quippe integrorum, descriptionem nullam dabimus; siquidem neque verbis, neque iconibus, satis iusta facile formari de iisdem idea

potest, aliaque, multo clariora, & graviora, describenda restant. In horum tamen fragmentorum uno cellulosa illa substantia ossea, quae inter utramque cranii tabulam interjacet, 3. fere digitorum & 4. linearum, pedis Londinensis, crassitiem habet: ex quo vel solo satis jam patet, si non ipsi is elephantis, animantis certe, ad ejusdem molem & magnitudinem proxime accedentis, calvariam istam omnino fuisse. Idem etiam ex alio quodam calvariae fragmento satis liquet, quod *occipitis* partem quandam constituit, quodque prae ceteris paulo exactius meretur describi.

Tab. I. In hoc osse, quod duplex, ex fractura, triangulum fere
 Fig. I. constituit, inter utramque tabulam interjacentis diploe, ubi maximum spatium occupat, 1. dig. & 6. fere lin. est; circa ipsum vero occipitis foramen nulla fere inter utramque tabulam intercedit, aut unam saltem alteramque lineam in quibusdam locis non superat. Foramen occipitis triangulare, quod medullam spinalem transmittit, triangulum aequalium fere laterum, sed angulorum quodammodo diversorum, efficit: siquidem angulus, qui verticem quasi hujus trianguli versus partem calvariae superiorem constituit, in rimulam anguli acutissimi definit; anguli vero, ad trianguli hujus basin utrimque siti, figuram fere semilunarem referunt. Latera trianguli hujus singula 2. digg. & 4. fere lin. sunt. Supra angulum vero istum, in rimulam angustam definitem, foramen, tabulae cranii interiori insculptum, observatur, ejus lumen, 3. circiter linearum, sensibilibiter statim decrescit; quod vasibus quibusdam sanguiferis, intra calvariae diploen admittendis, inserviisse videtur, siquidem exitus ejusdem nullibi apparet. Circa angulos vero istos semilunares insignia alia, utramque cranii tabulam perforantia, & trium fere linearum lumina habentia, foramina conspiciuntur, quae nervis quibusdam, ex medulla, sive oblongata, sive spinali, transmittendis inserviisse videntur. Iisdem angulis obtusioribus extrinsecus condyli duo
 infi-

infigiores oblique adjacent, quorum alter integer adhuc adest, alter vero aliquantum laesus. Hi condyli superficiem femilunarem fere non minus habent, cujus longitudo 4. digg. & 5 lin. latitudo vero maxima 2 digg. & 2. fere lin. est. Condylus hosce capitis cum prima colli vertebra conjunctioni & articulationi inserviisse, ex hominum aliorumque animantium analogia facile patet. Ossis totius, quod extremam occipitis partem solum fistit, pondus uncia una libram integram, quam sedecim unciarum assumimus, adhuc superat.

Offi huic *vertebram* quandam statim jungimus, quam non majoris solum animalis, sed ex colli etiam vertebra, fuisse, vel solus iterum ad spectus quemvis facile doceat. Praeter corpus enim ejus, quod altera parte, quam anteriorem appellare liceat, convexum, altera vero & posteriori concavum, est, processus obliquos, anteriores, & posteriores, quorum posteriorum sinister maximam partem deest, cum processibus transversis, spinaeque nascentis, sed laceratae, vestigiis, in eodem conspicimus: inter processus vero obliquos & transversos foramen oblongum utrinque observamus, quod vas vertebralibus transmittendis procul dubio inservit. Inter partem corporis superiorem, processuumque obliquorum cum incumbente spina conjunctionem, quae fornicis fere formam refert, satis amplum, & arcuatum, pro medullae spinalis transitu, foramen observatur, quod antierius eandem fere cum latitudine altitudinem, 1, nempe dig. & 5. lin.; posterius vero 1. dig. & 1. lin. altitudinem, cum latitudine multo majori, habet, quam vel propterea vero exacte determinare haud licet, quod in sulcos quosdam utrimque excurrat, qui nervos, ex medulla spinali exeuntes, recepisse videntur. Pars corporis anterior, quae convexa; & cartilagine sua maximam partem adhuc obtecta, est, inaequalem etiam cum altitudine latitudinem habet. Illa enim 3. digg. & 8. linn.; haec vero, ubi maxima, trium fere digg. est. Posterior

Tab. I.
Fig. VIII.
& IX.

E e 3

corpo-

corporis facies concava est, cui linea recta, seu chorda, circa processuum transversorum cum eodem conjunctionem subducta, 3. circiter digg. longitudinem habet, quae & alteri, a parte corporis superiori versus inferiorem eidem cavitati subductae, lineae competit; linea vero, seu chorda, versus corporis partem superiorem, circa foraminum, quae arterias vertebrales transmiserunt, extremitatem, cavitati isti subductae, priori parallela, 2. digg. tribus lin. solum superat. Cavitas haecce, quae circa lineae rectae, inter processus transversos eidem subductae, medium 1. fere digiti profunditatem habet, ita superiora versus decrefcit, ut circa chordae, modo descriptae, superioris medium vix 4. lin. profunditatem adhuc habeat; circa supremam vero extremitatem in limbum fere planum desinat. Foramina, quae cavitati huic utrinque adjacent, & vasis vertebralibus transmittendis inservierunt, 1. dig. & 2. fere lin. longitudinem; latitudinem vero, inferius equidem 6. superius vero 4. fere lin. habent. Extrema inter processus transversos, qui ne integri quidem esse videntur, distantia $6\frac{1}{2}$. digg. est; inter obliquos vero anteriores, eosdemque processus transversos, $5\frac{1}{2}$. digg. utrinque est distantia: uti inter extremos illos processus obliquos anteriores 5. circiter digg., inter processum obliquum anteriorem & posteriorem dextri lateris 3. digg. & 7. fere lin. tandemque inter infimum partis corporis concavae limbum, spinaeque intra processus obliquos posteriores basin, 5. circiter digg. spatium intercedit. In basi etiam corporis, inter partem anteriorem convexam, & posteriorem concavam, spina quaedam excurrit, inter quam, & processus transversos, sinus quidam, non admodum profundi, utrinque interjecti observantur. Tota haec vertebra, quae spinam, & processuum aliquam partem, mutila, ad librae 1. & $3\frac{1}{2}$ unciarum pondus quam proxime accedit.

Multum ab hac colli vertebra illa diversa est, quae, in eodem, cum nostris ossibus, loco reperta, in celeb. BRVCKMANNI,

MANNI, quod supra jam indicavimus, manus venerat; ab eodem autem per amicum quendam communem nobiscum communicata, descriptionem non minus justam meretur. Magni aequae animantis, ac ejus nostra illa est, partem eandem esse, vel primo iterum aspectu facile patet. Corporis ejus pars posterior concava etiam ejusdem cum nostra magnitudinis, trium scilicet digitorum, cum a parte superiori versus inferiorem, tum inter processus transversos, est, atque sola profunditate a priori illa differt, quam ubivis fere aequalem, unius nempe digiti, habet. Pars concavitate interior vero non aequae integra & rotunda, ac in ista quidem est; sive limbus ejus quomodocunque laceratus sit, sive, quod vero videtur esse similius, sulcis & incisionibus quibusdam naturaliter sit donatus. Vertebrae quoque hancce, non ex colli solum vertebrae, sed & illam sigillatim esse, quae atlantem, seu primam colli vertebrae, immediate excipiat, atque *axis*, seu *epistropheus*, vulgo appellatur, ex insigni, quo pollet, dente, totaque ipsius constructione reliqua, facile apparet. Foramen pro medulla spinali duorum fere digg. anterius, & inferius, est; posterius vero ex eadem, quam circa priorem vertebrae jam memoravimus, causa latius evadit, atque in similes fere sulcos utrinque excurrit, ideoque determinari etiam exactius nequit. Processuum transversorum, qui nec hic integri sunt, extrema inter se distantia $5\frac{1}{2}$ digg. est, hisque ipsis foramina, quae vasa vertebralia transmiserunt, ita insculpta sunt, ut basin quasi ipsorum perforent, ideoque & situ, magnitudine, forma, a prioribus istis non parum recedunt. Quod maximam autem vertebrae hujus a priori diversitatem efficit, *dens* ille insignis, cum adjacentibus processibus obliquis anterioribus, medullaeque spinalis foramini, spinæ loco incumbens, *gibber ossæus*, est, qui cartilaginis scutiformis in animalibus aliis formam fere refert, magnitudine vero multum superat. Dentis, in obtusorem verticem desinentis, longitudo, seu altitudo, ad 1. digg. & 6. lin. ab extremo & inferiore condyli

Tab. I.
Fig. VI.
& VII.

condyli istius limbo, qui fasciae obliquae instar eundem anteri-
 us tegit, fere assurgit. Fascia vero ista, si ita appellare li-
 cet, condyloidea, conjunctioni & motui faciliori partium, ei-
 dem respondentium, atlantis procul dubio, inservit; quem-
 admodum eidem proxime utrinque adjacentes processus obli-
 qui anteriores eidem atlanti recipiendo, & circa dentem ro-
 tando, non minus inserviisse videntur: in dente autem, ex
 parte, fasciae modo dictae opposita, conspicua insignis protube-
 rantia ligamenti quibusdam figendis usui inprimis videtur fuisse.
 Processuum, modo dictorum, obliquorum, denti adjacentium,
 longitudo 3. digg. latitudo vero maxima $1\frac{1}{2}$ dig. minima au-
 tem, in duarum fere lin. a dente distantia, 8. lin. vix excedit.
 Spinae loco, quam in basi corporis prioris vertebrae, a parte
 ejus anteriori versus posteriorem, excurrere diximus, a basi
 dentis, versus partem corporis posteriorem concavam, pro-
 cessus insignis osseus hic situs est; inter quem, processusque
 transversos, & obliquos anteriores, cavitates quaedam glenoi-
 dae, istis multo ampliores, & profundiores, utrimque hic
 observantur. Inprimis vero in parte ossis superiori gibber ille
 osseus memorabilis est, qui spinae, inter processus transversos
 alias sitae, locum hic occupat, foraminisque medullae spinalis
 fornicem quasi quendam elatiorem efformat, a quo processus
 obliqui posteriores etiam suspensi sunt. Hujus gibberis jugum,
 quod parte sua posteriori extrema quodammodo laesum est, $5\frac{1}{2}$.
 digg. longitudinem, cum 3. digg. & 2. fere lin. latitudine, a
 supremo nempe vertice, ad processuum obliquorum posteriorum,
 ab eodem suspensorum, regionem extremam, circiter
 habet. A gibberis autem supremo vertice, ad processuum trans-
 versos, qui non omnino integri sunt, $5\frac{1}{2}$ digg. fere interval-
 lum iterum est; uti inter processuum obliquos anteriores, an-
 terioremque gibberis hujus apicem, 3. digg. & 2. fere lin.
 spatium intercedit: processuum vero obliquorum posteriorum,
 qui ab eodem quasi suspensi sunt, limbi extremi, 4. digg. & 4.
 circiter lineis a se invicem distant: quae & maxima gibberis
 ossei

ossei simul hoc loco latitudo est; limbi vero ipsorum interiores vix 1. digg. & 2. lin. a se invicem distant, spinaque quadam, a supremo gibberis vertice versus medullae spinalis foramen excurrente, & evanescente, quodammodo dirimuntur. Iidem processus obliqui posteriores, ab hoc gibbere posterius prominentes, superficiem fere rotundam habent, cujus diameter 1½ fere digg. est. Extrema gibberis hujus a basi corporis distantia perpendicularis 7. digg. adhuc superat; etsi eo ipso, quod jam diximus, loco utrumque non satis sit integrum. Ossis, quod descripsimus, totius pondus 1. libra & 7. unciis paulo adhuc majus est.

Hujus epistrophaei pars posterior concava antea descriptae vertebrae partem anteriorem & convexam ita recipit, processusque ipsius obliqui posteriores hujus anterioribus adeo bene respondent, atque adeo apte ab iisdem recipiuntur, ut facile appareat, ad unius ejusdemque animantis collum os utrumque olim pertinuisse, alterumque alterum immediate excepisse: ut adeo, quam antea descripsimus, *tertia*; haec, de qua modo dictum est, *secunda*, colli vertebra animantis cujusdam majoris fuerit.

Atque haec quidem, hactenus descripta, ossa ex omnibus, quae in manus meas adhuc venerant, ossibus fossilibus maximam cum partibus elephantinis homologis similitudinem videbantur habere; quum ad pondus etiam earundem quam proxime accedant. In sceletò enim, in *Transactionibus philosophicis* descripto, elephantino, quod compendii causa *Anglicum* postea vocabimus, condylorum extremorum occipitis distantia 7½ digg. est; quum in nostro, cujus altera tamen extremitas laesa est, 6. digg. adhuc superet. Longitudo etiam illorum condylorum, quae ibi 5. hic 4½ digg. est, cum latitudine maxima, quae ibi 2½, hic 2. digg. est & 2. lin., satis bene inter se videbantur convenire. In *foramine* tamen occi-

pitis major se jam differentia prodit: siquidem in elephanto Anglico latitudo ejus inter adjacentes condylos 3. digg. longitudo vero, seu altitudo, $3\frac{1}{2}$ digg. est; quum in nostro utraque aequalis fit, & 2. digg. 4. lin. non superet.

Major vero adhuc in vertebra, quas modo descripsimus, diversitas se prodit. In *epistropheo* enim; ut de illo primum dicamus, aliasque minoris momenti differentias praetereamus, gibberis, quem modo descripsimus, ossei loco in elephanto Anglico protuberantia, quatuor digitos alta, bifurcata conspicitur; cui processus obliqui posteriores longe alio etiam modo, quam in nostro quidem *epistropheo*, juncti sunt: inter quos in elephanto isto etiam 4. digg. spatium intercedit, quod in nostro osse 1. dig. & 2. lin. vix superat. Sed & processus obliqui anteriores, qui atlantem, seu primam colli vertebra, recipiunt, cum adjacentibus vasorum vertebralium foraminibus, longe alium in nostra, quam in elephantina quidem, vertebra situm habent; quod longum vero foret, omne fusus enarrare, atque vel sola iconum inter se collatio multo facilius quemlibet doceat. Distantia tandem inter eosdem obliquos & transversos processus in elephanto Anglico 6. digg. est; quae in nostro osse, cujus processibus transversis paululum deesse jam antea diximus, vix $2\frac{1}{2}$ digitos adaequat, tresque adeo digitos in integris superare vix potuit. Corporis denique ipsius parti concavae, quae partem sequentis vertebrae convexam recipit, latitudini in elephanto $4\frac{1}{2}$, altitudini vero 4. digg. chorda respondet; quum in nostro utramque cavitatis istius directionem 2. digg. & 8. lin. solum linea subtendat.

A capite, & colli vertebra, ad illa ossa venimus, quae artuum partes quasdam olim constituisse, vel sola iterum inspectio extra dubitationem omnem facile ponat. Quo illis vero ipsis, quae ex fossa *Herzbergensi* ad me delata sunt, & in

in quibus describendis inprimis verlamur, eo major affundi lux queat, alius cujusdam mentio prius facienda, descriptioque praemittenda, est, quod exactam cum nostrorum quibusdam similitudinem habet, magisque simul integrum est, ut de tota ipsius forma, & magnitudine, adeo tutum magis ferri iudicium queat. Os hocce infigne, quod humerum animalis cujusdam majoris olim fuisse, pluribus statim patefcet, ab Excellentissimo Coniunctissimoque Collega, Dn. D. BRENDENLRO, a. 1750. dono mihi datum, ipsoque teste in regione *Scharzfeldensi* repertum est; etsi, quo tempore, aut in quonam speciatim loco, repertum sit, comperiri certo haud potuerit. In hoc osse pars aliqua capitis, quo scapulae olim cohaesit, 5. circiter digg. longa, & 4. lata, adhuc superest; a cuius limbo extremo ad condylum infimum finistrum ejusdem ossis, qui integer adest, XI. digg. & 8. lin. est distantia; linea vero recta, ab eodem capitis limbo per sinum, qui olecrano recipiendo inserviit, ad dextri processus inferioris extremitatem, quae paululum laesa est, ducta, XIII. fere digg. longitudinem habet; totaque ossis altitudo perpendicularis, ab infima processus hujus facie, ad capitis, qui restat, verticem, XVI. circiter digg. efficit. Latitudo & crassities hujus ossis in tanta brevitate plane singularis, & fere enormis, est. Circumferentia enim ejus minima 10. digg. adhuc superat; &, quoniam ob figuram ejus irregularem, capitisque laesionem nimiam, maxima ipsius peripheria determinari exacte nequit, alias quasdam dimensiones afferemus, ex quibus judicari de eadem quodammodo queat. Infra ossis enim caput processus quidam adest, cum processuum inferiorum longiore & crassiore in eodem fere plano situs, a cuius, quantum ejus superest, extremitate posteriori ad proximam limbi capitis partem, ad quam recta duci ab eadem linea potest, 8. fere digg. intervallum intercedit. Neque illa tamen maxima ossis hoc loco latitudo est. Anterior enim ab eodem processu ad illam capitis partem, quae in hoc osse ex hoc latere superest, 8½ digg. est distantia. Quum

Tab. II.
Fig. I.
& II.

Fig. II.
b. f.

Fig. II.
b. k.

ibid. a. k.

ibid. d. b.

Fig. I.
inter d. b.

inter duo ergo ista capitis, quae indicavimus, puncta 4. adhuc digg. 2 quae linearum intervallum sit; tota ossis hoc loco circumferentia ad 20. digg. & 6. lin. assurgit: quae maximam ejus longitudinem, seu altitudinem perpendicularem, $4\frac{1}{2}$ digg. & ultra adhuc superat. Maxima vero circa utrumque processum inferiorem, qui nec satis integri sunt, $18\frac{1}{2}$ digg. ejus peripheria est *). Quando supra processum inferiorem dextrum os totum erigitur; tunc processus alter brevior $1\frac{1}{2}$ digg. adhuc a plano, cui os insitit, distat; processuumque adeo illorum versus rectam, ex capitis vertice per inferiorem ductam, satis obliquus situs est **). Medio fere inter processum utrumque inferiorem loco condyli duo insignes observantur, versus se invicem inclinati, fossamque semilunarem inter se relinquentes, quae a sinu ossis anteriori versus posteriorem excurrit. Horum alter, versus brevior, & sinistram processum situs, altero paulo latior est, atque versus eundem processum in spinam fere semilunarem definit; alter vero, minori gaudens latitudine, formam magis rotundam habet. Illius a fossa interjacente media

Fig. II.
k. f.

Fig. I.
e. f.

ibid. g.

ibid. g. f.

ibid. g. e.

*) Appellabimus vero hic, & in frequentibus, semper *peripheriam*, non lineam, quae, corpori immediate ubi vis applicata, superficiem ejus metiatur; sed quae circa puncta ejus prominentia extrema circumducitur. Illo enim sensu ossis hujus peripheria, circa processus ejus inferiores, $18\frac{1}{2}$ digitis multo adhuc major evaderet.

**.) Quodsi ex corporis humani analogia de his processibus judicandum est; ille, qui in hoc osse *dexter* est, & *longior*, processus *internus*; qui *sinister* & *brevior* est, *externus*, in situ ossis naturali, suis

se videtur: unde, quoniam in subsequens ossibus, prout dextri, aut sinistri, lateris fuerint, processus dexter, nunc brevior, nunc longior, esse deprehenditur, confusionis vitandae causa, processuum *internorum*, & *externorum*, nominibus potius in ipsorum descriptionibus postea utemur. In omnibus etiam, postea describendis, ossibus, processus, quem hic pro *interno* habemus, longior, condylum *rotundior*; quem *externum* vero esse existimamus, brevior; condylum, statim describendum; *latiorem*, comitem semper habet.

dia ad spinam, quam diximus, semilunarem latitudo $2\frac{1}{2}$ digg. fere; hujus vero 2. circiter digg. est. Illius circa spinam longitudo, a sinu anteriori ad posteriorem, 9; hujus vero, ab uno iterum sinu ad alterum, extremus ambitus $7\frac{1}{2}$ fere digg. efficit: fossae interjacentis vero latitudo tota ab uno condylo- rum limbo ad alterum 4 circiter digg. adaequat. Haec fossa, cujus 6. fere linearum in medio est profunditas, cum condylis modo dictis adjacentibus, a sinu ossis anteriori, ad multo profundio- rem, magisque notabilem, posteriorem, ductu semilunari ita excurrit, ut vel primo intuitu facile cuivis pateat, ossis cujus- dam alterius articulationi & rotationi eandem cum condylis suis adjacentibus olim vel maxime infervisse. Eiusdem etiam os- sis, quocum ita articulatum fuit, processibus, anteriore, & posteriore, recipiendis sinus modo memoratos infervisse, in- tuenti non minus facile patet: cujus anterioris longitudo $3\frac{1}{2}$, latitudo circiter 2. digg. media vero profunditas 8. fere lin. est; posterioris autem longitudo maxima 3. digg. 7. lin. lati- tudo maxima, ad longitudinem ejus quodammodo obliqua, circa medium 3. digg. 2. lin., & profunditas, inter condylos adjacentes, maxima 2. digg. 5. lin., infra fossam vero, modo descriptam, semilunarem, 7. circiter linearum, est. Uter- que versus fossam istam semilunarem, condylosque, saepe dictos, ipsi adjacentes, fere rectum; versus lineam vero, a vertice capitis, per sinus istos ductam, perquam obliquum, situm obtinet, processuum inferiorum versus eandem lineam situi fere parallelum. Atque hujus, haecenus descripti, ossis pondus 6. librr. & totidem fere unciarum est.

Offi huic Scharzfeldenfi duo inter fossilia *Herzbergensia* majora exacte reperiuntur similia, hocque unico solum ab eo- dem differunt, quod minus integra perfectaue sint, atque ma- gnitudine sua illud non parum adhuc superasse videantur. Caput enim integrum cum processu, eidem adjacente, transver- so, utrique ipsorum deest; medii vero ossis maxima pars,

cum processibus inferioribus, interque hos, cum condylis adjacentibus, sita, imo ab iisdem efformata, fossa semilunari, & utroque, ad quos illa utrimque ducit, sinu, anteriore, & posteriore, utrobique maximam partem superant, ex quibus adeo dimensiones quasdam capere facile licet.

Fig. III.
& IV.

In altero ergo horum ossium, circa processum utrumque inferiorem, quorum alteri tamen, longiori nempe & interno, qui hic sinister est, aliquantulum deest, 19. digg. 7. lin. deprehenditur circumferentia, quae in ipso ossis corpore, ubi minima est, 10. circiter digg. efficit; in altero vero osse eorundem processuum, quorum alteri autem, breviori nempe, & externo, qui hic sinister est, portio aliqua notabilis deest, circumferentia 19. digg. 2. lin. non excedit, quae in ipso autem corpore a prioris crassitie sensibilibiter haud differt. Sinus etiam anterioris longitudo in utroque est eadem, 3. nempe digg. & 7. circiter lineis; sicut & profunditas in utroque 7. lineas non multum videtur superare: exacte enim, propter adhaerentem passim terram lapidescentem, mensurari nequit. Idem & de latitudine maxima ejusdem sinus valet, quae 2. digg. parum superat. Sinus autem posterioris longitudo maxima in utroque osse 4. digg. 6. lin. & latitudo maxima 3. digg. cum 8 circiter lineis, & profunditas tandem maxima in altero 2. digg. atque 7. fere lin. est; in altero enim ob insignem processus externi defectum capi exacte nequit. Condyli, a sinu anteriore ad posteriorem excurrentes, interni & rotundiores, 7. digg. & 6. lin. utrobique longitudinem in ambitu extremo habent; externi vero, & latiores, ob nimiam ossis utriusque hoc loco laesionem mensurari nequeunt. Fossa tandem, inter utrumque interjacens, semilunaris, ab unius condyli limbo ad alterum, 4½ fere digg. latitudinem, cum 6. fere lin. profunditate, in utroque habet. Condylorum externorum, a media circiter fossa, latitudo 2½ digg. circiter est; internorum vero 2. digg. vix superat. Ossa denique ipsa laterum oppositorum sunt,

sunt: alterum nempe dextri, alterum finistri; uti sinuum, anteriorum & posteriorum, processuumque, iisdem adjacentium, situs, & directio, extra dubitationem omnem facile ponunt *). Alterius, magis integri, & dextri lateris, 4. librr. & 4 $\frac{1}{2}$. unciarum; alterius vero, minus integri, finistrique lateris, 4. librr. 2. unc. cum drachmis totidem, pondus est.

Ex hac ossium Herzbergenfium, si cum altero illo Scharzfeldenfi contendantur, descriptione facile jam apparet:

1) utraque ossa *ejusdem animalium generis* esse, ad *eandem* etiam animantis *partem* utraque pertinere, atque *humerum* animalis majoris olim constituisse.

2) Ossa tamen *Herzbergenfia* animalis paulo *majoris*, & *robustioris*, hoc est, magis adulti, fuisse, quam ejusdem generis illud *Scharzfeldenfe*.

3) Vtrumque Herzbergenfe *unius ejusdemque* fuisse *individui*, uti exacta quidem magnitudinis, figurae, ipsiusque in ossibus nequidem integris ponderis, mira convenientia extra dubitationem omnem facile ponunt.

4) Ossa haecce, non minus, quam, antea descriptas, colli vertebrae, animantis cujuscunque *terrestris* fuisse, ejusdemque ex omnibus, nobis adhuc cognitis, vel *maximi*, vel maximo saltem *non multo minoris*, simulque perquam *robusti*.

Et haec quidem dubitatione facile omni hactenus carent Quemadmodum de colli vero vertebrae antea jam convictum est,

*) Nolumus vero utrumque icone exprimi, siquidem illis, quae modo indicavimus, laesionibusque, quibusdam fortuitis, exceptis, fatis *alterum alteri simile* est. Os ergo *dextri lateris*, in quo partes, hactenus descriptae, magis integrae supererant, a parte sua anteriori, & posteriori, *Tab. II. Fig. 3. & 4.* repraesentari solum curavimus.

est, *elephantini* quidem corporis, quo satis alias videbantur dignae esse, reliquias easdem *non esse*; ita de hactenus descriptis ossibus convinci idem non minus facile potest.

Elephas, cujus in *Transactionibus Philosophicis* descriptio extat, femina erat, eademque, quod ex variis indiciis satis patuit, ne adultioris quidem aetatis. Corporis ergo ejus magnitudo ad aliorum sui generis corporum proceritatem non omnino accedebat: siquidem tota ipsius, a parte anteriori, altitudo $8\frac{1}{2}$ solum, in parte posteriori 9, *longitudo* vero tota 10, & *crassities* tandem, seu *peripheria*, 14. pedum Londinensium erat. Et in hoc tamen non adeo magno corpore *humeri*, cujus tota etiam descriptio in ossa nostra non quadrat, qua superficiem suam externam *longitudo* 30., qua internam vero 26. digg. erat; quum nostri *longitudo*, seu altitudo perpendicularis, 16. digitos haud excedat. In tanta etiam *longitudinis* diversitate non satis proportionata *crassitie*, & *gravitatis*, utriusque differentia deprehenditur. *Minima* enim ossis *elephantini* *circumferentia* $13\frac{1}{2}$ digitorum est, quae in nostro 10. digg. paulum adhuc superat; tantumque nostri, magna licet capitis parte mutili, friabilisque, & exlucci, *pondus* residuum est, ut 6. libras, cum totidem unciis, adhuc adaequet; quum *elephantinum* integrum, idque recens, succique forsitan plenum, 8. libras non excefferit: nullumque adeo dubium fere sit, si nostrum, quod neque ipsum petrifactum est, neque *terreae lapideaeque materiae* in aut *adhaerescens* quicquam habet, satis esset integrum, quin, vel siccum, ossis *elephantini* recentis pondus, aut superaturum esset, aut quam proxime saltem adaequaret. Multo ergo os nostrum, pro *longitudinis* suae ratione, *plus massae*, seu *materiae*, quam os *elephantinum* homologum, habet; multoque adeo, pro eadem ratione, eodem etiam est robustius. In *elephanto* etiam *Parisino*, qui XVII. annorum erat, quum a. 1681. diem suum obiret, os *humeri* 2. pedum & 3. digg. *Parisiorum* erat, qui 29. digg.

digg. Londinenses quam proxime efficiunt *): quae mensura, quum a priori ista longitudine non multum differat, os nostrum, quod pro tanta brevitate sua adeo crassum & robustum est, ne junioris quidem elephantis esse posse, fatis convincit. Multo ergo magis de ossibus Herzbergenfibus, quae adeo hujus familiae sunt, ut, ejusdem generis cum eodem ipsa esse, dubitari nequeat, idem valebit.

Occurrunt vero inter eadem, saepe memorata, ossa fossilia adhuc alia, quae ad animalis cujuscunque majoris *artus posteriores* olim pertinuisse, aequè evidens est, ac, ad anteriores haecenus descripta spectasse, dubio jam omni satis caret. Tanta eadem ipsa etiam magnitudinis sunt, ut similis molis, si non ejusdem plane individui, rudera vel ista esse, fatis non minus pateat. Horum-ergo brevem etiam descriptionem prius dabimus, quam de ossibus hisce majoribus generatim concludamus.

Quod primo ergo loco ex hisce nobis describendum est, os, 1. circiter pedis longitudinem, cum 5. fere digg., ab altero latere, latitudine maxima, habet. Tab. III.
Fig. I. Huic ab altero latere cavitas insculpta insignis est, qualem pro ossis femoris recipiendo capite in osse innominato animantium terrestrium, majorum saltem, & perfectiorum, deprehendimus, quod *acetabulum* ossis istius vocant; quae non perfecte vero rotunda, sed oblonga quodammodo, in nostro osse esse deprehenditur. Chorda enim, secundum ossis longitudinem eidem subducta, 4. digg. & 8. fere linn. est; quae hanc ipsam vero ad angulos rectos secat, 4. digg. integros nondum explet. Cavitationis etiam limbus non ejusdem in tota peripheria altitudinis esse observatur. Versus extrema enim chordae brevioris puncta magis depressus est; versus

*) V. *Memoires de l'Acad. Roy. des Sciences depuis 1666. jusqu'a. 1699.*
Tome III. Part. III. p. 153.

versus chordae majoris extremitates vero magis, contra, adsurgit: unde nec eadem cavitatis hujus ubique est profunditas. Sub chordae enim majoris medio 1. digg. & 9. fere lin. depressa deprehenditur, circa minoris vero chordae circiter medium 1. dig. cum 1. lin. vix profunditatem habet; etsi, ob alterius limbi laesionem, satis exacte haec determinari nequeat: cujus totius limbi, quantum per hanc ipsam laesionem assequi licet, $14\frac{1}{2}$ digg. fere periphæria est. Huic acetabulo, circa extremitates chordae majoris, duae, si ita modo appellare fas est, alae

Fig. I. quasi adhaerent, quarum lacerae extremitates abunde satis convincunt, majorum & longiorum ossium partes & reliquias eadem esse. In acetabulo vero ipso, versus illam limbi partem,

Fig. I. e. quae maxime declivis est, cavitas aliqua, 1. circiter dig. longa & 8. lin. lata, reliquo acetabuli fundo quasi insculpta observatur, qualis illa in his animalium cavitatibus esse solet, quae *glandulam mucilaginosam* recipit; quae in nostro vero osse non ejusdem ubivis profunditatis est. Huic alia, minor equidem, sed profundior, proxime adjacet, in qua *ligamenti*, sic dicti, *teretis* extremitas affixa fuisse videtur. Totum igitur os hocce ossis innominati illam partem esse, quae femoris animalis caput olim receperit, condideritque, nullum facile relinqui potest dubium. Ponderus ejus 1. librae & 15. unciarum esse deprehenditur.

Cum hoc osse, reliquisque, in eadem marga repertis, alia tria, *hemisphaeriorum* fere figuram referentia, eodem fere tempore eruta sunt, quorum duo magnitudine vix differunt, tertium vero, reliquis majus, sed minus quodammodo convexum, minusque integrum, sphaerae haud paulo majoris segmentum esse apparet. Priorum istorum unum, quod

Fig. II.
III.

magis integrum esse videtur, limbum, qui exacte vero rotundus non est, 13. circiter digg. habet; altitudo vero ejus perpendicularis, non minus, quam in altero, ejusdem simili, 2. digg. & 8. lin. haud superat. Huic ossi circa limbum extre-

mum

num sulcus notabilis insculptus est; qui *ligamenti teretis* infertioni inserviisse videtur; in ejus vero, si appellare ita licet, basi, seu parte plana, verticique opposita, non obscura substantiae cartilagincae, qua mediante cum femoris osse procul dubio olim cohaesit, vestigia supersunt. In elephanto certe Anglico cartilago ista, qua femoris caput cum reliquo isto osse cohaerebat, adhuc tota supererat. Hujus ossis globosi pondus 12. unciar. & 5. drachmarum; alterius vero, ejusdem similis, 10. solum unciar. cum 3. drachmis est. Tertium, quod sphaerae majoris segmentum esse diximus, 15. fere digg. circa limbum extremum peripheriam habet, cum altitudine perpendiculari, una alterave linea 2. digitis majori, & pondere 13. unc. & 3. drachmarum. Horum ossium duo priora, inprimis vero illorum alterum, antea descripto acetabulo adeo bene conveniunt, ut, alterutrum horum hospitatum olim in eodem esse, dubitari fere nequeat. Tertium ergo, & postremum, quod prioribus istis adhuc majus est, majoris etiam animantis fuerit, necesse est.

Subjungere his ossibus aliud majoris cujusdam fragmentum liceat, quod inferiorem ossis femoris partem aliquando constituisse videtur. Processibus enim duobus insignis magnitudinis constat, quorum peripheria, etsi dimidiatum quasi hoc loco appareat, 16. tamen digitos lineis quibusdam adhuc superat. Inter hos processus non sulcus solum profundus, inaequalis latitudinis, & profunditatis, quae utraque tamen 1. dig. multis in locis vincit, interjacet; sed, ubi hic ipse superiora versus definit, alius multo latior, minusque profundus, ipsi imminet, qui non integer quidem hic apparet, manifestissimo tamen indicio est, alius ossis articulationi, & rotationi, eundem olim inserviisse. Quoniam totum vero os nimis laesumque est; singulis exactius describendis nolumus inhaerere.

Ad ossa ergo, quae adhuc describenda restant, magis integra venimus, inter quae duo, omni fere ex parte sibi simillima, attentione nostra inprimis adhuc digna sunt. Quoniam alterum tamen altero magis integrum, minus inter eruendum etiam laesum, esse videtur; in hoc etiam describendo inprimis verfabimur: cetera tamen, in quibus alteri cum hoc ipso vel conveniat, vel minus, paucis simul indicaturi.

Tab. III.
Fig. III.
& IV.

Offis hujus, cujus totum corpus ex triplici, magis minusque acuta, obtusave, spina quasi constat, a superiore, spinæ alteri obtusiori imminente, processu, ad inferiorem, sub eadem spina positum, processum extremum, 13. fere digg. longitududo est; quæ eadem etiam alteri magis, uti quidem videtur, circa processum inferiorem integro, exacte convenit: tota vero offis utriusque altitudo perpendicularis 13. digitos 4. aut 5. circiter lineis adhuc superat. Prioris offis maxima circa processus superiores periphæria $14\frac{1}{2}$, circa inferiores vero 12. circiter, digg. est: quæ utraque alteri quoque offi, etsi utrumque non parum, utroque loco, laesum sit, circiter convenit. Ex spinis, quibus totum fere corpus secundum longitudinem constat, una magnam partem satis acuta est; reliquæ duæ magis obtusæ sunt: priorque illa ex duabus, oblique sibi occurrentibus, coalescere quasi videtur, hocque ipso loco, ubi spinæ istæ sibi invicem ita occurrunt, minima offis periphæria est, quæ 8. digg. & 5. lin. circiter efficit. Spinæ istæ omnes, acutæ non minus, quam obtusæ, a totidem processibus, quæ periphæriam offis superiorem constituunt, quasi proveniunt; atque in totidem quoque processibus, quæ periphæriam offis inferiorem efficiunt, desinunt. Quæ superioribus processibus imminet, offis extremitas, in utroque adeo læsa lacerataque est, ut cellulosa offis interioris substantia ubi-vis pateat; cavitas etiam insignis, quæ in altero tamen major, in altero minor, est, secundum axeos longitudinem in eandem satis profunde descendat. Quæ processibus vero inferioribus cingi-

Fig. IV.
& V.
d. d.

cingitur, ossis extremitas, duplicem cavitationem glenoideam constituit; quarum altera, quam obtusarum spinarum processus includunt, minorem quidem latitudinem, at majorem profunditatem: altera vero, quae inter hanc ipsam cavitationem, & spinæ acutioris processum, interjacet, minorem, cum majori latitudine, profunditatem habet. Circa prioris istius cavitationis angulum alterum altera spinarum obtusorum in processum reliquis paulo longiorem definit, qui malleolum quasi quendam ossis constituit: ex quo ipso, cavitationumque modo descriptarum, directione & situ, satis simul patet, alterum horum ossium pedis *dextri*, alterum *sinistri* pedis, fuisse; uti tota, ceterum, ossium configuratio, quod *tibias* animalis cujuscunque majoris olim constituerint, harum rerum qualitercunque peritum dubitare nullo modo sinat. Extremitatis inferioris modo descriptæ cavitates spina quadam obtusiori dirimuntur, quales inter variorum artuum articulationes passim observamus; ossi etiam cuidam peculiari insculptæ sunt, cujus maxima crassities 1. dig. vix superat, quodve ipsi tibiæ ossi per symphysin, cujus manifesta vestigia in altero inprimis osse adhuc supersunt, arctissime cohaeret. Magis integri horum ossium pondus 2. libras, 10. unc. cum 3. circiter drachmis; minus vero integri alterius 2. libr. 9. unc. & 1. dr. efficit.

Et si de his ipsis ergo, hætenus descriptis, ossibus, satis jam pateat, pedum posteriorum, partiumque connexarum, animalis cujuscunque terrestris, ossis inprimis *innominati*, *femoris*, *tibiaeque*, partes easdem esse: etsi satis etiam magna eadem esse appareat, ut molis ingentis animal vel maxime fuisse oporteat, ad quod illa olim pertinuerint; *elephantini* tamen corporis reliquias easdem *non esse*, magna, quae inter hujus, nostraque ossa, intercedit differentia facile iterum convincit. Ut enim prætereamus, in *Anglico* elephanto *acetabuli* peripheriam 18. digg. esse, quae in nostro 14½ solum efficit, ossisque ilei, eidem adhaerentis, collum 14. digg. peripheriam habere, quae in nostro 8. digg. paululum

Fig. VI.
e. f.

Fig. IV.
& V.
m. m.

Fig. VI.
m. n.

Fig. IV.
V. e. f.

lum modo superat; maxima inprimis in *tibiis*, modo descriptis, differentia se prodit. *Anglici* enim elephantis tibia 22. digg. longitudinem, & circa processus superiores 19., circa inferiores vero 12. digg. peripheriam habebat, quae in medio fere corpore minima $9\frac{1}{2}$ fere digg. erat: quae omnia in tibiis, modo descriptis, longe aliter se habent. Non solum enim nullae harum dimensionum in istas cadunt; sed ne eadem quidem dimensionum inter se proportionem in iisdem locum habent, quae in tibia elephantina obtinent. In elephantis *Anglici* tibia integra longitudo ad peripheriam superiorem est, ut 22: 19; in nostris vero ossibus, parte superiori aliquantum mutilis, ut 13: $14\frac{1}{2}$; in elephantis tibia peripheria superior ad inferiorem est ut 19: 12; in nostris ossibus ut $14\frac{1}{2}$: 12. In elephantis peripheria superior ad mediam ut 19: $9\frac{1}{2}$; in nostris ut $14\frac{1}{2}$: 8. In elephantis tandem longitudo tibiae ad ejus crassitiam mediam ut 22: $9\frac{1}{2}$; in nostris vero ut 13: 8. se habet. Quodsi inter peripheriam etiam supremam, mediam, & infimam, in utroque ossium genere, media aliqua assumatur proportionalis, & cum ossis longitudine contendatur; in elephantis media ista crassities ad longitudinem ossis est ut $13\frac{1}{3}$: 22; in nostris vero ossibus ut $11\frac{1}{3}$: 13. Ossa ergo *nostra*, pro longitudinis suae ratione, *elephantinis* multum *crassiora*, & *robustiora*, sunt; adeoque nec ad *junioris* elephantis corpus pertinere olim potuerunt. De omnibus ergo, in quibus describendis versati hactenus sumus, ossibus extra dubitationem omnem satis jam est positum, quantaecunque etiam molis, aut magnitudinis, sint, pro *elephantinis* tamen haberi eadem *nullo modo* posse.

Quum *satis* tamen *vasti robustique* animalis, quodve omnia, nobis quidem adhuc cognita, animantia, solo forsitan elephantis excepto, magnitudine facile vincat, ossa ista esse, vel solum jam eorundem adspectus, magis vero, quae de iisdem adhuc allata sunt, extra dubitationem omnem facile ponant, *terrestre*

stre etiam animal, idemque *quadrupes*, fuisse, eadem non minus evidenter convincant; cujusnam animalium generis eadem sint, operae vel maxime pretium esse videtur, dispicere. Animal certe, ad elephantini corporis molem proxime accedens, eodemque robore, si non superius, non multo certe inferius, fuisse videtur, cujus ossa ista fuerint: etsi corporis totius altitudine forsan non parum ipsi concefferit. Elephanti enim *Anglici* altitudo tota erat

a parte anteriori = $8\frac{1}{2}$ ped. Lond.

— — — posteriori = 9. —

longitudo vero tota,

a capite ad caudam = 10. —

crassities, seu periphe-

ria maxima, vero = 14. —

Parisini autem elephanti

altitudo erat circa

dorsum = $7\frac{1}{2}$ = 8. Lond. quam proxime

longitudo = $8\frac{1}{2}$ = 9. 8. lin.

crassities = $12\frac{1}{2}$ = 13. 4. —

Quando superiori anno animal in hisce regionibus, & in hac ipsa urbe nostra, publice vitendum fistebatur, in his terris nunquam forsan antea visum, *vivus* nempe *Rhinoceros*, ex *Asia* orientaliore ante aliquot annos in *Bataviam* translatus, atque per varias Europae regiones ab illo tempore, spectaculi causa, circumvectus; ne in mentem quidem mihi adhuc venerat, ossa, haecenus descripta, fossilia, quae jam tunc in manibus meis versabantur, ad aliud animalium genus, praeterquam elephantum solum, referri posse. Neque cupido ergo magna me tunc incescit, animantis istius, satis monstruosi & ingentis, sive longitudinem, sive altitudinem, & peripheriam, seu crassitiem, paulo accuratius explorandi: quin contentus potius dimensionibus istis eram, quas ferae dominus iconibus ejus, aeri impressis, adjici curaverat. Neque aliae adeo

in

in praesenti mihi suppetunt, quas vocare in subsidium queam; ipsae tamen, quantum ego quidem, quantum alii recordantur, a vero non multum videntur recedere. Quodsi fides ergo illis adhibenda est; animal mense Majo a. 1747. quo tempore 8. & dimidium annos natum erat, altitudinem 5. pedd. & 7. digg., longitudinem 12., totidemque pedum crassitiem, habuit, quae omnia superiori anno non multum in eodem, ipso teste domino, videbantur aucta. Quum additum vero non sit, qualinam mensurae genere dimetientes usi sint; probabile est, *Belgani*, beluae dominum, mensuram, in suis regionibus usitatissimam, h. e. *Rhenotandicam*, adhibuisse. Quodsi ergo sumamus, pedem *Rhenotandicum* ad *Parisinum* ut 29: 30, & hunc ad *Londinensem* ut 16: 15. vel, secundum recentiorem, *Societatis Regiae Londinensis*, & *Academiae Scientiarum Parisinae*, ad sensu comprobata, proportionem, ut 114: 107, se habere; erunt

5. ped. 7. dig. Rhenol. = 5. ped. 9. dig. Londin.
quam proxime; &

12. ped. Rhenol. = 12 - 4. Lond. qu. pr.

Animalis ergo hujus altitudo ad altitudinem elephantii Anglici se habet, ut — — — 69: 108.

longitudo v. ad ejus longit. ut — 148: 120.

& crassities ad crassit. ut — — 148: 168.

adeoque, si utriusque animalis longitudo in crassitiem ejusdem ducatur; *massa Rhinocerotis* nostri, ad *massam elephantii Anglici*, se habebit, ut 21, 904. ad 20, 160. hancque adeo ista duodecima fere parte, aut paulo saltem minus, superat: quum altitudo ipsius, contra, altitudine elephantii tertia fere parte minor sit. In *hujusmodi* ergo animalium genus illa *humerali, tibialique*, ossa videntur convenire, quae, pro altitudinis suae ratione, ipsis elephantinis ossibus multo robustiora esse, antea demonstravimus: in *hujusmodi*, inquam, animal, quod *elephantii* ipsius pondus *duodecima* fere parte *vincat*, & altitudinem tamen *tertia* fere parte eodem *minorem* habeat. Notatu etiam dignum esse

esse videtur, quod eadem fere *tibiae*, supra descriptae, longitudinis, ad *totam rhinocerotis nostri altitudinem*, ratio emergat, quae *tibiae elephantinae ad totam elephanti Anglici est altitudinem*. Quum hujus enim altitudo, = 22. digg., ad totius corporis altitudinem, = 108. digg. se habeat ut 1: 4 $\frac{3}{2}$, seu ut 1: 5. quam proxime; *tibiae nostrae fossilis*, cujus parti tamen superiori aliquid deesse, antea jam monuimus, altitudo, = 13. digg., ad vivi, quem vidimus, *rhinocerotis altitudinem*, = 69. digg., se habet, ut 1: 5 $\frac{1}{3}$, hoc est, ut 1: 5 $\frac{1}{3}$ quam proxime: id quod in manifesta ossis istius mutilatione, qua digitus forsán integer altitudini ipsius deest, individuumque, quae inter se contendimus, diversitate, ad priorem adeo proxime accedit, ut vix dubium aliquod relinquatur, *rhinocerotis tibias esse*, quas descripsimus. *Rhinocerotis igitur & reliqua ista ossa majora erunt*, quibus, praeter magnitudinem qualemcunque, cum ossibus elephantinis homologis adeo parum convenire vidimus. Quódsi cum rhinocerotis vero ossibus contendi illa aliquando possent; extra dubitationem forsán omnem illud magis poneretur: quam ob causam & paulo proximiori eorundem descriptioni operam hic dare voluimus.

Restant ex ossibus, ex eadem marga erutis, alia nonnulla, non minus memorabilia; de quibus alio forsán tempore differendi occasio dabitur.

